

Simon Rettenpacher
‘Prudentia Victrix
seu
Vlysses post longos errores in Patriam redux,
Procis interemptis amori Penelopes redditus’

Tragoedia
(1683)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Februar 2007

Argumentum

Prudentia omnes difficultatum nodos solvit, exsuperat labores. illustre documentum Homerus in Vlysse proponit, cui semper comitem iungit Prudentiam, quam poetico ritu Minervam seu Palladem appellat. is expugnata post decem annos Troia cum ad Ithacam, Regnum suum, contenderet, totidem annis periculosa navigatione a Patriae littoribus aberravit, casta Penelope intaminatum interea coniugii thorum servante ac instantes procos tela retexta eludente. demum post saeva discrimina, terris iactatus et alto, Palladis ope ubique tutus, domum reversus peregrini ac inopis habitu suorum animos exploravit. quos ubi satis perspexit, Telemacho se primum filio, Eumaeo dein ac Philaetio, Regionum armentorum praefectis, patefecit. horum consilio usus ac industria, procis interemptis, Penelopes amori postliminio fuit restitutus.

Personae

| | | | |
|--------------|-----------------|------------|-----------|
| Vlysses | Rex Ithacae | Callirrhoë | <nymphae> |
| Penelope | Vlyssis coniunx | Cymothoë | |
| Telemachus | Vlyssis filius | Hyale | |
| Eurycleia | nutrix | Pallas | |
| Melantho | famulae | Religio | |
| Anticlea | | Virtus | |
| Medon | musici | Candor | |
| Theoclymenus | | Consilium | |
| Phemius | | Industria | |
| Antinous | proci | Pax | |
| Pisander | | Mars | |
| Eurymachus | | Fama | |
| Polybus | | Cupido | |
| Amphinomus | | Dolus | |
| Nicocles. | | Spes | |
| Melanthius | pastores Regii | Timor | |
| Eumaeus | | Silenus | |
| Philaetius | | Satyri | |
| Irus | | Amor | |
| Eriphilus | | Terror | |
| Idiobuleutes | | Vis | |
| | | Atropos | |
| | | Rigor | |
| | | Clementia | |

Prologus

seu

Exceptio

Callirrhoë, Cymothoë, Hyale, Pallas, Religio, Virtus,
Candor, Consilium, Industria, Pax, Mars

Augustissimarum Maiestatum serenissimo adventu laeta Callirrhoë ac caeterae Cremifanenses Nymphae ad laudes et cantum omnes excitant; quibus adstipulantur Pallas aquila invecta, Religio, Mars ac Virtus, et Invictissimae Domus Austriacae decus ad caelos extollunt.

- Call. Lux alma, citis propera bigis,
Maestae noctis taedia pelle;
Redde laborem, blanda diei
Gaudia redde.
Ite sorores, currite Nymphae: 5
Numina ripis quanta propinquent,
Cernite pronae.
Post Fernandi nomina magni
Nunquam tanto laetor honore.
- Cym. Mens insolito tumet ardore 10
Nec laetitiam condere novit,
Dum Leopoldi ac Eleonorae
Maiestas non dedignatur
Obscura inopis tecta tugurii.
- Hya. Vase ut pleno defluit humor, 15
Sic ardenti pectore flamma
Prodit in auras, ubi praesentes
Licuit tandem noscere Divos.
- Call. Ite sorores, currite Nymphae:
Dicite laudes, plaudite cantu. 20
- Cym. Sidera, tellus, aequoris undae
Famam Augusti, decus Augustae
Carmine celebrent, voce propagent.
- Pall. Austria Reges faecunda tulit
Virtute graves, pectore forti, 25
Pallade nixos, Marte invictos;
Quos Leopoldus passibus aequis
Premit ac instat, Numine nostro
Instar Vlyssis tutus in aevum.
- Rel. Viget immotus, quem astra tuentur, 30
Religio quem candida servat.

| | | |
|-------|---|----------------|
| Vir. | Robur, ut adamas, cedere nescit: Haec Virtuti gloria soli. | |
| Cand. | Candore placet cauta Phronesis. Perfida urgent corda veneno Fraudis iniquae. | 35 |
| Cons. | Vis Consilio fulta ruinam Metuit nullam, mole sua stat. | |
| Ind. | Quamvis casum Regna minentur, Omnia solers labor exsuperat. | 40 |
| Pax | Laeta quietas incolo terras: Leopoldus amat, nemo nocere Possit amatae. | |
| Mars | Et mihi vires, et mea tela Grata Austriacis: testis caesa Turba superba et Thracia pubes. Spargite laudes, promite carmen. | 45 |
| Call. | Blanda monemur. poplite flexo Dum Leopoldum ac Eleonoram Orbis adorat, Animo casto vota precesque Ferimus caelo. Austriae duret, vigeat, perennet Claritudo Gentis et universis Imperet terris; sine fine constant Munera Divum. Crescat annoso velut arbor aevo, Stirpe florenti sobolem propaget Caelitum donum et trepidum serenat Cladibus orbem. | 50 55 60 |

Actus primus Scena prima

Penelope, Eurycleia, Melantho

Penelopen ob diuturnam mariti absentiam animo afflictam consolatur Eurycleia. Melantho ad perfidiam et novas nuptias invitat.

- Pen. O generis altrix dura Lacedaemon mei,
Quam leni opacus agmine Eurotas lavat,
Cur te relicta, patre deserto, domum
Deducta chari coniugis quondam fui?
Contempta si nunc ludor et viduo thoro 65
Cogor cubare? si meus Vlysses abest?
- Eur. Regina, gemitus cesset ac maestus dolor
Animi querentis: Dii reducent, ne ambige,
Dulcem maritum.
- Pen. longa me nimium mora
Exagitat. aestas volvitur vicesima, 70
Sperare nec reditum licet. vestram fidem,
Dii coniugales!
- Eur. audiet fletus pios
Tibique Vlysses Rector immensi poli
Reddet precanti.
- Pen. metuo: tormentum est grave
Absentia atque immodicus ardenti dolor. 75
- Mel. Tot clari amantes expetunt vultum tuum,
Immota cur servas peregrino fidem?
- Pen. Cui me dicavi iureiurando, meum
Cui tradidi animum, perfide frangam fidem?
- Eur. Immane crimen, dirum, inextricabile. 80
- Mel. Verba obsoleta haec, moris antiqui nimis.
Perfidia nunc triumphat ac orbem regit.
Est cassa larva, lubricum idolum fides.
- Eur. Sit larva vobis improbis, nobis decus
Et maximum ornamentum erit semper fides. 85
- Mel. Monent amici, nuptias suadet parens,
Instant amantes, familiaris res perit
Iussu procorum, et sola connubium negas?
- Pen. Me firma Vlyssi vincla strinxerunt meo.
Vis nulla rumpet, nulla dissolvit dies. 90

Scena secunda

Antinous, Pisander, Medon

Antinous et Pisander Penelopes amore mutuis sese iurgiis ac mucronibus impetunt; quibus se Medon opponit et in gratiam reducere allaborat.

- Ant. Huc irae, huc furores,
 Incendite mentem,
 Animate dolentem.
 Facesse, Cupido;
 Facessite amores. 95
 Nos ignis adurat,
 O caeca libido!
 Regina deludit
 Et thalamo excludit?
 Antinous haud durat. 100
 Ardete furores,
 Facessite amores.
 Mavortia tela
 Dexterâ stringat,
 Sanguine tingat 105
 Ora formosa;
 Desidero bella.
 Ardete furores,
 Facessite amores.
- Pis. Antinous sic protervus. 110
 Fraude dolosa!
 Pisander ad arma,
 Artus tege parma.
 Fugitivus hic cervus?
 Succurrite amores, 115
 Vindicate dolores.
 En, casta Virago:
 Tibi spicula libro,
 Tibi gladium vibro,
 Menti haeret imago. 120
 Ausis aderit Pallas.
 Succurrite amores,
 Vindicate dolores.
- Ant. Auro cuncta domabo
 Et saeviente ferro; 125
 Nec leges nec iura quaero:
 Ense gentes fraenabo.
 Timor suggeret alas.

| | | |
|-----------|--|-----|
| (Actus I) | Simon Rettenpacher, 'Prudentia Victrix seu Vlysses' | 7 |
| | Ardete furores, Facessite amores. | 130 |
| Pis. | Succurrite amores, Vindicate dolores. | |
| Med. | Quo ruitis armati, In caedes animati? Deponite lites, Quas odit Regina. Sic estis immites? Quae pungit vos spina? | 135 |
| Ant. | Instar Aethnae Regium Fervere crede pectus. | 140 |
| Med. | Quid istud? an egregium, Si fumet ignis tectus? | |
| Pis. | Vlcisci pulchrum, Hostem sternere telo. | |
| Med. | Ruit ad sepulchrum, Qui sperat vincere bello. Dulce praeferre pacis olivam. | 145 |
| Pis. | Dulcius iram nutrire vivam. | |
| Med. | Cedant furores, redeant amores. | |
| Ant. | Adsint furores, cedant amores. | 150 |

Scena tertia

Fama, Melanthius, Eurymachus, Polybus

Fama Vlysses in Patriam seu Ithacam rediisse spargit: conturbantur multorum animi, procorum praesertim ac infidi Melanthii.

| | | |
|------|---|-----|
| Fama | Meliora iam sperate, cives: non ego Sum nuncia malorum. redit Vlysses domum. In littore ingens navis exposuit virum, Telemachus in Ithacam quoque reverti suo Cum patre visus. militum fortis manus Comitatur utrumque, quibus expellant procos Ex aula et agris. plura fari non vacat. | 155 |
| Mel. | Audire plura sed oppido nobis vacat. | |
| Fama | Magnus tumultus inter exoritur probos Ac faede amantes, maxima strage hos necant Fidae cohortes Regis ac mergunt freto. | 160 |
| Eur. | Infausta nobis femina infelix refert. Quid nunc agendum? capere consilium iuвет. | |

- Pol. Hostes oportet adgredi ac vires locum
 Contrahere in unum. stetimus invicti hactenus 165
 Concordia; nec nostra posthac se uspiam
 Movebit acies, iuncta si fuerit phalanx
 Vmbone.
- Mel. trepido concidat nullus metu,
 Caedenda vel terga hostibus monstret fugax;
 Vincemus astu robore infirmi Ducem 170
 Exercitus venientis.
- Eur. armis haud decet
 Cautum experiri, fraude si queat aut mora
 Discrimen amovere. dum bellum tegis
 Simulasque pacem fronte, fidentem opprimas
 Negotio nullo. inclytum hoc semper decus. 175

Scena quarta

Virtus, Cupido, Dolus, Pallas

Cupido et Dolus Virtutem loco movere conantur. accurrit Pallas et ambos profligat.

- Vir. Fluctibus quassata crebris
 Eminent rupes ab undis,
 Ingruit vis saeva Ponti
 Concitata turbine.
 Surgit aequor, et procellae, 180
 Sibilant aerae, lacesunt
 Astra; firma contumaci
 Perstat illa robore.
 Haec imago me decebit,
 Nulla quam fortuna laedit: 185
 Sortis haud adversa frangunt
 Aut secunda flamina.
- Cup. Cuncta viribus resistant,
 Cuncta viribus domabo,
 Ne diu superba iactes 190
 Robur et potentiam.
- Dol. Fraudibus vestitus ardor
 Et dolis armatus ensis,
 Vt cadens e monte rivus,
 Quidquid obstat, eruit. 195

| | | |
|------------|--|-----|
| Vir. | Nec Dolus nec me Cupido Semita veri revellant. | |
| Dol., Cup. | Non vides arcum et sagittas? Cede, larva pertinax. | |
| Pall. | Siste gressum, cur recondis Ora maestus? intueri Palladis vultum haud nocebit Basiumve poscere. | 200 |
| Vir. | Vt lupus caudam remulcens Diffugit pastore viso, Sic abit Dolus reducta, Sic Cupido Pallade. | 205 |
| Pall. | Absque me decepta maeres, Absque me lassata langues, Alma Virtus. tuta nostra Dege semper aegide. | 210 |
| Vir. | Sum Minervae Tuta semper aegide. | |

Scena quinta

Irus, Anticlea, Eriphilus

Irus vanum fuisse de Vlyssis reditu rumorem narrat, cui Anticlea nihil negligendum esse persuadet; quae clam omnia sublegit Eriphilus.

| | | |
|------|---|-----|
| Irus | Famam secutus improbo vicos, agros Labore obivi, nuspiam inveni tamen, Quem quaero, Vlysses. vana sunt, rumor levis, Quaecunque turba spargit ignara omnium Et rerum avida novarum. | 215 |
| Ant. | at haud frustra fuit, Quod voce populi saepe diffudit Deus, Casu frequenti cognitum, eventu pari. | 220 |
| Irus | Nec milites nec arma nec mersos freto Vidi sodales. hospitem Eumaei domo Narrant receptum. quem peregrinus metu Sollicitet? et quid unus ausit, quid queat? | |
| Ant. | Non negligenda parva. prudentem omnia Cavere oportet. latius serpit malum, Nisi docta medici elidat in cunis manus. | 225 |
| Irus | Vos, faeminae, trepidatis ad inanem sonum, Aut culicis umbram. folia cum rapuit Notus, | |

| | | |
|-------|--|-----|
| | Propinquat equitum turma; cum rivus strepit, Concurrat acies hostium atque arva eruit. Ridicula sunt ludibria. | 230 |
| Ant. | en magnum Herculem! Non commoventur terriculamentis viri. Cur fugitis, et consilia disquirat pavor? | |
| Irus | Quis nos timoris arguet, dum animus sagax Momenta rerum librat, expendit statum? | 235 |
| Ant. | Depone vana; nam esse te cautum volo. Exigua saepe flamma non parvam dedit Neglecta cladem. flumen immensum cadit Virides per agros, fonte quod tenui vides His auctibus crevisse. nil sperni decet. | 240 |
| Irus | Sexum tuum ultra, mulier, et sortem sapis: Parebo. quid peregrinus attulerit novi, Discere iuvabit. | |
| Ant. | nostra sic poscit salus. Verum est adhuc, quod te rogem. | |
| Irus | manda, obsecro. | 245 |
| Ant. | Ne pectore Anticlea dilecta excidat. | |
| Irus | Animi medullis Anticleam non queat Avellere ipsa Pallas, aut Martis minae. | |
| Ant. | Promissa grata! duret - ah! - constans fides. | |
| Erip. | Homines scelesti! Eriphilus haud capitur dolo. Suspectus Eumaei hospes. an credunt Ducem? Versuta non me dicta, non fraudes latent. | 250 |

Scena sexta

Mars, Pax, Dolus, Idiobuleutes

Mars Pacem ut parum per se tutam sibi faedere iungit, frustra Dolo ac Idiobuleute contra nitentibus.

| | | |
|-----|--|-----|
| Ma. | Amica nocte faedera, Iungatur hasta olivae, Pax alma; posthac mutua Officia sint utrique: Diversa nec sint tempora, Divisa nec potestas. Mars arma gestet, bellicos Pax temperet labores. | 255 |
| | | 260 |

| | | |
|-------------|--|-----|
| | Sic Luna gaudet Cynthio, Hac lege constat orbis. | |
| Pax | Opposita sed quis colliget, Quis arbiter reducet? | |
| | Pax iurgiorum semina Et litium querelas, | 265 |
| | Contentionem et praelia Cupida quietis odit; | |
| | Mars bella quaerit, gloriam Hinc sperat et triumphum. | 270 |
| Ma. | Expende dicta serio, Haec mens, Virago, Martis. | |
| | Sint odia, sint lites procul Et fax rebellionum; | |
| | Sileat tumultus civium Clangorque trux tubarum. | 275 |
| | Orneris armis, classicum Etsi nec audiatur, | |
| | Proterva ne vicinia Lacessat imparatam. | 280 |
| Pax | Placet hasta nobis. Palladis Frater, capesse munus. | |
| Dol. | Ne fide, Nympha: conditur Sub vulpe fraus dolosa. | |
| | Pacata nulla tempora Habebis et quieta. | 285 |
| Idiob. | Populos tuos exhauriet Vectigal et tributum, | |
| | Dum militem nutris domi Et saeva cudis arma. | 290 |
| Ma. | Versuta fallit credulam Et impudens propago. | |
| | Non intueris, dextera Insigne quod retentat? | |
| Pax | Abite carcinomata, Abite proditores: | 295 |
| | Dum demit arma Regibus Perfidia, Regna perdit. | |
| Ma., Pax | Pax iuncta Marti mutua Necessitate floret. | 300 |
| Dol., Idio. | Pax iuncta Marti mutua Necessitate ploret. | |

Actus secundus Scena prima

Eurycleia, Eriphilus, Melantho

Dum Eurycleia Vlyssis reditum optat ac sperat, Melantho nuncium a Nestore venisse fingit, qui mari eum periisse affirmet, clypeum ac baltheum cadaveri detractum afferat. Eriphilus haec omnia ut vana commenta deridet.

- Eur. Sol, qui micantem candido curru diem
Mortalibus reducis et flammam explicas
Aethere patenti, cuncta qui solus vides 305
Lustrasque terras, Pontum et Oceani sinus:
Vbi Ductor errat, qua latet mundi plaga?
O quando maestam coniugem ac annis gravem
Reviset Eurycleiam! inextricabili
Dolore pectus uritur, sperat tamen. 310
- Erip. Hoc fata Regis, hoc poli Rector iubet.
Mel. Hoc fata Regis, hoc poli Rector vetat.
Erip. Innoxium est sperare, nec prohibet Deus.
Mel. Spes vana turpi affinis ignorantiae.
Erip. Spes vana non est, vita dum superat brevis. 315
Mel. Spes nulla, quos mors atra transmisit Stygi,
Vt dudum Vlysem.
- Eur. quis Ducem extinctum refert?
Mel. Huc Pylius ablegavit egregium senex
Nuper Cleontem, casum acerbum quo necis
Ithacique Dulichiique perciperent: mari 320
In littus eiectum esse non Sparta procul.
- Eur. Regina novit ista, Telemachus puer?
Mel. Cautè illa quavis durior credit nihil.
Peregre hic profectus forte iam interiit salo.
Erip. Quot convoluta fabula incomptis strophis? 325
Vix Phrygia textu pingat hos flores acus.
- Eur. Inimica talia spargit in plebem phalanx,
Vt turba credula deserat Regem metu.
Mel. Ne contraire veritati audax queas,
En, clypeum Vlyssis baltheumque cadaveri 330
In littore abreptum. argue haec ficti doli.
- Erip. Commenta vana!
Eur. larva non terret minax.
Mel. Vesana mulier, praeda Tartarei canis!
Erip. Tempus docebit. baltheum adservo mihi
Clypeumque tollo, Martii exuvias viri. 335

Scena secunda

Penelope, Timor, Spes, Pallas, Antinous, Medon

Penelope cantu telae solatur laborem. in somnum deinde lapsa inter spem metumque versatur, nunc tristi, nunc laeta imagine animum confundente.

| | | |
|------|--|-----|
| Pen. | Candida luce Telam quam texo, Minerva Duce Nocte retexo. Properate laborem, Durate dolorem Sedulae manus. Non minus otiosae Quam nec otiosae: Non absolventur Stamina per me ... | 340 |
| Tim. | Licet excitentur Dira procorum Flamina in te. | |
| Pen. | Donec redeas, marite, Spes unica vitae. | 350 |
| Spes | Tot votis petitus Aderit maritus. | |
| Tim. | Tot votis petitus Aberit maritus. | 355 |
| Pen. | At non servat amorem: Sunt mille puellae Ac plures quam stellae. Numerosum furorem! Si non iacet extinctus Aut carcere vinctus ... | 360 |
| Spes | Suspicio fallax. | |
| Tim. | Spes saepe mendax. | |
| Pen. | Redi marite, Spes unica vitae! | 365 |
| Tim. | Defunctus Vlysses? | |
| Spes | Mitte timorem, Vivit Vlysses. | |
| Tim. | Spes vana fallit, Veritatis Nec habet colorem. | 370 |
| Spes | Vanitatis ingratum tumorem! | |

| | | |
|-------|--|------------|
| Pen. | Spes pectus alit. Redi marite, Spes unica vitae! | 375 |
| Spes | Regina, spera: puppi Secunda spirat aura. | |
| Tim. | Instabile servat munus Maris Dominus Neptunus. | |
| Pall. | Contendite nervum, Expendite robur. | 380 |
| Ant. | Multa minanti Pugno Tonanti: Ascendo culmen, Provoco fulmen, Dum deferat orbis Arbitrium nobis. | 385 |
| Pall. | Lingua profana, Terram complana. | |
| Med. | Certare Diis haud iuverit, Quem ratio nondum fugerit. | 390 |
| Pen. | O falsa, maesta somnia, Quam vana nunc sunt omnia! Redi marite, Spes unica vitae! Non absolventur Stamina per me, Licet excitentur Dira procorum Flamina propter te. | 395 400 |

Scena tertia

Eumaeus, Vlysses, Telemachus

Vlyssis cum Eumaeo colloquium, cui Telemachus filius intervenit; eique se parens, abeunte Eumaeo, Minervae suasu manifestat.

| | | |
|------|--|-----|
| Eum. | Hospes verende, mente tranquilla cape, Congesta cespite tecta quae praebent levi. Pretiosa si non gemma diffundit merum, Nec citream mensam ebore sustentant pedes, Altae lacunar nec radiat auro domus, At sanctus animus, laeta paupertas colit Inopes penates. aula carminibus strepit, | 405 |
|------|--|-----|

- Superba monstrat pompa divitias heri -
 Heu! - quondam Vlyssis; hospites faedis probris
 Vexant amantes, hospitalis quos Iovis
 Iura violari non sinunt. 410
- Vlys. iusti viri,
 Eumaeae, praefers specimen, antiquae notae.
- Eum. Sincera mens nec mixta peregrinis dolis.
 Si Rex adesset, viveret Vlysses meus,
 Quam cuncta verterent bene! procorum gula 415
 Nunc omnia rapit, vastat, absumit, vorat,
 Veluti locusta densa, dum campo insidet,
 Agros virore spoliat et sylvas comis.
 Telemachus etiam gnatus abscessit domo.
 Hos fata salvos si reducant, haud mori 420
 Timebo.
- Vlys. vita tum iuvel primum.
- Eum. at sonum
 Exaudio pedum. quis lares nostros petit?
- Tel. Eumaeae!
- Eum. vocem agnosco: in amplexus ruo.
 O sola spes, solamen ac aulae decus.
- Tel. Quis hospes ille?
- Eum. venit huc Gnosso mari. 425
- Tel. Festina in urbem, ut sollicita norit parens
 Huc me appulisse. cura peregrini mihi.
- Eum. Capesso iussa. sed quid ad maestum senem?
- Tel. A matre discet. Regia nisi esset domus
 Opplata tot nepotibus, non te his agris 430
 Paterer morari.
- Vlys. mentis excelsae notas,
 Telemache, veneror, inclytum amplector genus.
- Tel. Quo properat? et quis corda concussit Deus?
 Solvuntur artus, intimae fibrae tremunt.
 Quae monstra cerno? Numini similis redit 435
 Pannosus hospes, aurea exornat toga.
 Non ista, quisquis es, prius vestis tuos
 Obtexit artus, forma nec talem tulit,
 Qualem videmus. esse te prodixit Iovis
 Prolem aut Deorum, qui colunt summum polum. 440
 Placatus adsis ac gravi aerumna leva.
- Vlys. O chare fili, cur Deo similem autumas?
 Parens Vlysses sum tuus, amatum caput!
- Tel. Ne lude miserum nec calamitatem aggrava,
 Succurre potius. Numen hoc munus decet. 445
- Vlys. Non ludo: formam Pallas attribuit novam.
 Agnosce patrem.

- Tel. Palladis dono redis
Viridem in iuventam post tot annorum moras?
O blanda patris oscula, o lumen meum!
Cadunt per ora lacrymae, amplexu nequit 450
Saturare sese pectus. o caelum! o Dii!
- Vlys. Laetor recepto filio.
- Tel. natus patre.
Huc usque produxisse vitam me iuvat.
- Vlys. Discrimina evasisse te propter, redux
Exulto, fili. plura sed lubeat domi, 455
Ne verba quisquam sublegat, vultum notet.

Scena quarta

Antinous, Amor, <Echo>

Antinous Penelopes ignibus ardet, cui Cupido favet ac Echo sollicitat. sed maesto fere ac dubio responso dimittitur.

- Ant. Amata Solitudo,
Vt excitas cor!
Felix Beatitudo,
Qua degit Amor! 460
Hic pectoris tumultus:
Dimittite me.
Venus, Cupido, vultus
Defigite spe.
Excelsa stat cupressus, 465
Sic erigit sors.
Labor dolore fessus,
Sic deprimit mors.
Dulcis Beatitudo,
Quam fugit horror! 470
Amata Solitudo,
Vt excitas cor!
- Am. Regia tecta
Saepe relinquo;
Condo latebris, 475
Abdo tenebris
Membra tenella.
Post carecta,
Cum delinquo,
Invenies me. 480

| | | | | |
|------|---------------------------------|------|----------|-----|
| | Iam figo te. | Ech. | Te. | |
| | Laeta resultat | | | |
| | Vocis imago. | | Ago. | |
| | Me, Nympha, me recondes. | | Des. | |
| | Quid reposcis? forte laurum? | | Aurum. | 485 |
| | Non sollicitum quaeris honorem? | | Rem. | |
| | Quid Antinoum decere censes? | | Enses. | |
| | Non ducet ardor ac amabit? | | Abit. | |
| | Vi coniugem quid si abstrahat? | | Trahat. | |
| | Cautus Vlysses huc adveniet? | | Veniet. | 490 |
| | Ferro proci lacescent? | | Cessent. | |
| | Proceres iacebunt caedibus? | | Aedibus. | |
| | Amans Vlyssi praeuale. | | Vale. | |
| Ant. | Saltus taciti, | | | |
| | Tesqua cupita, | | | 495 |
| | Antra obscura, | | | |
| | Dulcia rura, | | | |
| | Ferte gementem. | | | |
| | Fontes placidi, | | | |
| | Vos, mea vita, | | | 500 |
| | Densa tegat nox, | | | |
| | Blanda sonet vox. | | | |
| Am. | Ducite, Parcae, | | | |
| | Stamina laeta. | | | |
| | Vulnera blanda | | | 505 |
| | Semper amanda. | | | |
| | Haec prima salus. | | | |
| Ant. | Invide, marce | | | |
| | Contra quieta. | | | |
| | Amor, o sis Dux, | | | 510 |
| | Praefulgida lux. | | | |
| Am. | Astra fovete, | | | |
| | Fata favete, | | | |
| | Amor ut sim Dux | | | |
| | Et fulgida lux. | | | 515 |

Scena quinta

Eriphilus, Melanthius, Polybus, Eurymachus, Silenus,
<Milites, Fauni, Satyri>

Eriphilum pro Telemacho insidiis excipiunt Melanthius, Polybus ac Eurymachus; agnitum ut proditorem punire festinant. impediuntur vero a Faunis et Satyris.

- Erip. Hoc scutum Vlyssis, Martis hunc ensem gero.
Sum miles audax; solus ignotum nemus
Pererro victor. hostis invadit, caput
Violenta quassat hasta? sic firmo gradum,
Sic arma vibro, sic latus clypeo tego. 520
Robusta veluti turris haud cedit loco,
Immota perstant maenia et cives domi
Clausos tuentur: nostra non aliter viget
Nescia repulsae sordidae virtus. sonum
Ast audio. unde? quo loco tandem venit? 525
Latebo. forte sunt latrones. non favet
Fortuna semper.
- Mel. ite celeres: hac, Duces,
Properate parte. teneo iam praedam manu.
- Poly. Vadam sinistra. Eurymache, tu dextram pete.
- Eur. Telemache, quo contendis? huc gressum move, 530
Aut te trucido. miles, incesse ac feri.
- Erip. Telemachus haud sum. cur inaudita reum
Causa innocentem rapitis ad vincla et necem?
- Mel. Occide, Polybe. iuris est nostri fera,
Quae capta sylvis.
- Poly. Regium credis genus? 535
- Mel. Non forma multum abludit.
- Erip. heu! misero patre
Ac matre natus.
- Mel. ore Telemachum refers.
- Erip. Non parva fuerit gloria! at speculum negat.
- Eur. Dimitte. Regis filium an fungum vides?
- Poly. Sed gestat arma Vlyssis: en, clypeum adspice. 540
- Mel. Haec unde, latro? cuius abripuit domo?
- Erip. Liquit, Melantho, publico liquit loco;
Relicta primus occupavi. non mea
Sint iure spolia?
- Eur. proditor amantum! tene.
Ne fama Vlysem vulget absorptum mari, 545

| | | |
|-------|---|-----|
| | Indicia celare necis infidus cupit Fictaque ducere fraude Reginam ac dolo. | |
| Mel. | Constringe vinclis, miles, exuvias cape. Concide gladio, frange vel laqueo gulam. | |
| Erip. | Sic innocens peribo! sed Regi fidem Intaminatam deferam ad Ditis domos. Solamen ingens istud. at caelum iuva! | 550 |
| Sil. | Quis tacita turbat nemora et horrori sacro Dicata Regna? solve nexus aut cade. | |
| Mel. | Quid tu, proterve? quid imperas? timeam senem? | 555 |
| Sil. | Huc, turba fratrum. in compedes compingite, Durus scelestum dedolet stipes caput. | |
| Erip. | Quas gratias, divina, commemorem, manus? | |
| Sil. | Hac parte stabis, caede, proturba, feri. | |
| Mel. | Fugitiva quo tendis cohors? quo vos pedes? Solutus relinquitur? mitte, per Superos precor. | 560 |
| Sil. | Absiste sylvis: flagra iam tergo sonent. Pacata rursus tesqua, nos cantus iuuet. | |

Scena sexta

Silenus, Satyri III

*Delicias ruris Satyri commendant, procos exsecrantur et sibi Penelopen
Vlysse rebus humanis exempto despondent.*

| | | |
|---------|--|------------------------|
| Sil. | Vivo laetus Incola ruris: Non mihi bella, Non fera tela Adimunt faetus; Gaudia puris Carpo labellis, Liberata fellis. | 565 |
| Sat. I. | Vrbe tumultus Regnat, et audax Turba procorum. Plena colorum Regia cultus Simulat mendax, Ore iocosa Corde dolosa. | 570 575 |

| | | |
|-----------|--|------------------------------------|
| Sat. II. | Coniunx maeret Regis amore. Degit in aula Veluti caula, Tristis inhaeret Fracta dolore. | 580 585 |
| Sat. III. | Pulchra decebit Satyros sponsa; Si periit Rex, Vt pecorum grex, Blanda favebit: Sit coma tonsa. Scio cantare Et scio amare. | 590 595 |

Scena septima

Eumaeus, Telemachus, Vlysses, Pisander,
Antinous, Amphinomus, Irus, Penelope

Vlysses pauperis habitu procos adit ac deluditur. Penelope iniuriam hospiti fieri conqueritur.

| | | |
|-------|--|-----|
| Eum. | Telemache, mandato hospitem adduxi tuo, Vt edat bibatque cum procis. | |
| Tel. | factum bene. | |
| Vlys. | Homini peregrino stipem, iuvenes, date Et carne peram implete. nam venter, licet Multum erubescam, petere ieiunus iubet. | 600 |
| Pis. | Non sumus avari: quod satis fuerit, cape. | |
| Ant. | Eumaeae, cur in Regiam accersis viri Piaculum? hic an nulla mendicabula, Infesta pestis, generis humani lues? | |
| Eum. | Cur ira surgit? hospes a caelo venit. Difficilis autem semper es, acerbus mihi. Erecta sed mens spernit ac ridet minas. | 605 |
| Ant. | Impingo scamnum vertici et faedo caput. | |
| Vlys. | Audiat Erynnis pauperum, Antinoo dies Pauci supersint, nuptias lethum occupet. | 610 |
| Amph. | Non te decet percutere mendicum vagum: Haec saepe species texit errantes Deos, | |

Hinc cor iratum,
 Pignus amatum,
 Ardet dolore.
 Hospes est laesus, 660
 Innocens caesus;
 Plangit horrore.
 O vita dura!
 Maior sit cura
 Semper honesti 665
 Quam Regni libido
 Aut auri cupido;
 Hac toga te vesti.
 Proles amata,
 Eris beata, 670
 Si delectaris honestis
 Et hac toga te vestis.

Scena octava

Amor, Terror, Vis, Consilium, Dolus, Industria, Pallas

Amor Consilio et Industria firmatus ad metam collimat, Terror Vi et Dolo stipatus procul aberrat ac tela vertit in Amorem; verum ope Palladis in fugam agitur ac confoditur.

Am. Pectora fraenat,
 Corda serenat
 Nostra sagitta. 675
 Ter. Animos frangit,
 Telum ubi tangit,
 Spoliat vita.
 Am. Non fiet ita:
 Regnabit Amor. 680
 Ter. Prohibet Terror.
 Vis Vis armata
 Regna tenebit.
 Cons. Prospera fata
 Semper habebit 685
 Sceptraque Virtus.
 Dol. Dolus inflectit
 Rigidam mentem,
 Vincula nectit,
 Capit ardentem. 690

| | | |
|-------|--|-----|
| Ind. | Sed vincula haec Industria Brevi labore solvet. | |
| Cons. | Dum iuncta Consilio manus Evolvet implicata. | |
| Ter. | Sunt facta viri, Faemina verba, Mollior herba. Praelia, diri, Miscete mecum. | 695 |
| Am. | Tendere nervum Dextera gestit. | 700 |
| Ter. | Sternere cervum Timidus nescit. | |
| Cons. | Posita est meta, Fugite corda. | 705 |
| Vis | Ite, volate Spicula torta. | |
| Am. | Sistite, amate, Dulcia corda. | |
| Ter. | Ite, migrate, Territa corda. | 710 |
| Ind. | Mente recepta Blanda sagitta, Procul abrepta Spicula trita. | 715 |
| Dol. | Dextra perita Studio exerrat. | |
| Vis | Fraude petita Vulnera quaerat. | |
| Am. | Recede, saeve Terror: Triumphus est Amoris. | 720 |
| Ter. | Huc tristis ito maeror: Triumphus est doloris. Furor, exarde; Fige hac parte. | 725 |
| Am. | Non fiet ita: Exuo vita. Dirige, Pallas; Non me fallas. | |
| Pall. | Ite sagittae, Membra ferite. Concide, Terror: Publicus error Liberet orbem. | 730 |
| Ter. | Sternor. procul hinc Ferte cadentem. | 735 |

| | | |
|-------|--|-----|
| | Nemo gementem Audiat unquam. | |
| Cons. | Numine sacro Hostis abactus. | 740 |
| Am. | Labe intactus Regna peragro. | |
| Ind. | Metus exulat doloris: Auro cincti, Lauro vincti Triumphus est Amoris. | 745 |

Actus tertius Scena prima

Melantho, Anticlea, Irus, Eurymachus, Eriphilus

Melantho, quo res sit evasura, dubitat ac suo timet Eurymacho. Anticlea deplorat Irum et domum ducit aegre membra trahentem. Eurymachus ab insidiis redit, quem presso pede iratus sequitur Eriphilus.

- Mel. Quo pondus istud verget ac trepidus labor
Animi dolentis? audeo et metuo nefas.
Fortuna, quid minaris? hospes sit? Ducem
Superba nutrit aula. nos dictis ferox 750
Lacessit ultro, spernit ac duris agit.
- Ant. Me gravior urget et coquit mentem furor;
Nosti. quid haeres, lingua? num fari pudet?
Meos amores nosse te credo, soror.
- Mel. Iucunda dicis ora, purpureas genas, 755
Oculos micantes, candidum frontis iubar
Audacis Iri.
- Ant. eloquere, quid fidum sinum
Dolor erubescis? ah, fuit! saevus decus
Ademit hospes oris.
- Mel. in nostra domo,
Spectante Regis filio et amantum impia 760
Cohorte?
- Ant. spectante, incitante.
- Mel. heu! quis Deus
Exagitat aedes?
- Ant. durus, implacabilis.
- Mel. Vbi nulla sunt consilia, nec prudens vigor
Temperat habenas, debilem fortis premit
Inopemque dives.
- Ant. Irus at prodit gemens. 765
Vt miser anhelat! membra vix fessus trahit.
- Mel. Iuva cadentem: moveat afflicti status.
- Irus Fortuna, cui me perfida reservas malo?
Vtinam perissem! labor. o retine tuum,
Dilecta, quondam contubernalem, soror. 770
- Ant. Conside: pietas Anticleae non solet
Deserere amantes; lubricos gressus regam.
- Mel. Vt vitis ulmum stringit, utque suo incubat
Hedera parieti, vinculo clades pari
Amica nectit pectora et firmat fidem. 775

- At ubi moratur tamdiu Eurymachus meus?
 Nullas per agros metuit insidias redux
 Telemachus, altas horret aedes et feram
 Turbam procorum. gaudio sed cor salit.
 Quid caeca sors ostendis? Eurymachus redit. 780
- Eur. Sole ut calente fons viatorem iuvat,
 Sic mens, Melantho, laeta conspectu tuo.
- Mel. Me genius idem stimulat, ac agitat Deus.
 Ast arma cur relictas, cur nudum latus
 Et parma et ense?
- Eur. abiicere me nimium gravis 785
 Coëgit aestus. alia praebebunt mihi
 Turres Vlyssis arma.
- Mel. Telemachus puer
 Hac luce cuncta Regia emovit domo,
 Ne iurgia serant aemuli forsā viri
 Ac caede debacchentur.
- Eur. indignor. nova 790
 Commenta sunt ista, quibus insontes petat.
- Mel. Suspecta plura: immane formido scelus.
- Erip. Favete, Superi: dextera in pugnam calet.
 Redeat Vlysses, iungar audacter procos
 Contra superbos. victimas Domino sacro 795
 Pallentis Orci capita conspirantium.
 Armatus adsto; nec arma sunt tantum minae.

Scena secunda

Pisander, Amor, Theoclymenus, Atropos

Dum Pisander Amorem venatur, Theoclymenus vates caedem praedicit ac mortem. effugit Amor, comprehenditur Parca, quae venatorem ad Stygium caetum evocat.

- Pis. Tendite rete
 Molle, sodales:
 Capiatur Amor; 800
 Tener est ales.
 Puer assuete
 Volucres lento
 Fallere visco,
 Laqueo extento 805
 Necte potenter

| | | |
|-------|--|-----|
| | Membra tenella, Blanda labella, Vincula mento Flecte decenter. | 810 |
| Am. | Non, non capior. | |
| Pis. | Cur ego rapior? | |
| Am. | Lusus inanis, Gaudeo vanis. | |
| Pis. | Vertite rete | 815 |
| | Molle, sodales: Stringatur Amor; Mobilis ales. Lumina flete: Nil mea verba | 820 |
| | Penelopeia Curat acerba. Languida, Dive, Vulnera sana. | |
| | Quo mihi cana | 825 |
| | Tempora? laeto Pectore vive. | |
| Atr. | Cassibus haeret Praeda petita. Nullus aberret, | 830 |
| | Brevis est vita. | |
| Am. | Non, non placeo? | |
| Pis. | Sic, sic. taceo. Tollite rete | |
| | Molle, sodales: | 835 |
| | Est captus Amor; Lubricus ales. Stamina nete Candida, Parcae: | |
| | Insidet ardor | 840 |
| | Pectoris arce. Mora iam grata, Quoniam acquiro Et adhuc spiro | |
| | Cypridis aureae | 845 |
| | Regna beata. | |
| Theo. | Pisander - ah! - deluderis: Non nexus hic Amoris. Ad inferos detruderis, Vbi Regia est doloris. | 850 |
| | Mendaces, fallaces Dimittite spes; | |

| | | |
|------|--|-----|
| | Veras, sinceras Comprendite res. Nox atra cunctos obteget, Suspensus horret ensis, Ad limen Orci diriget Caedes patrata mensis. Mendaces, fallaces Dimittite spes; Veras, sinceras Comprendite res. | 855 |
| Atr. | Cereris nata Secuit crinem, Tristia fata Spectant finem. Stamina rupta. | 865 |
| Pis. | Captans praedam Praeda abducor: Ire necesse, Atropos urget. Tollite dirum Rete, sodales: Sum captus ego; Excidit ales. | 870 |
| Atr. | Desine fletus, Lacrymas terge, Revocat caetus Turba silentum; Stygio membra Flumine merge. Stamina rupta. | 880 |

Scena tertia

Penelope, Vlysses

Vlyssis necdum cogniti ac Penelopes colloquium.

| | | |
|-------|---|-----|
| Pen. | Hospes verende, miseria dira opprimi Te cerno satis. at Patria quae tibi, quod genus? | |
| Vlys. | Regina, cuius penetrat ad caelum decus, Lateque fama nominis terras tui Pervadit omnes, parce funestum, precor, Renovare luctum fata narranti aspera | 885 |

| | | |
|-------|---|-----|
| | Durosque casus. Regia gemere haud decet Aut flere miserum, taedio ne fors gravi Irritet aulam. | 890 |
| Pen. | lacrymae, luctus, dolor His aedibus alienus haud unquam fuit, Postquam maritus ratibus abscessit domo, Vt Ilium expugnaret infandum, meus. | |
| | Nam tot me ab illo tempore affligunt mala, Vt sustinere imbelle vix pectus queat. | 895 |
| Vlys. | Perfer laborem, respicit maestam Deus: Prope est Vlysses. | |
| Pen. | visus an coniunx tibi? | |
| Vlys. | Cum nave Troiam peteret, in Cretam appulit Vis saeva venti, fratris absentis vice Amplexus excepi hospitem et laetus tuli Donum hospitale. Patria nam Creta est mihi. | 900 |
| Pen. | Si vera narras, signa quae monstras mei, Senex, Vlyssis? vestis an notus color? | |
| Vlys. | Remota poscis. at recordabor tamen. Purpurea filo chlaena subtili, ut reor, Involvit artus; Daedala ast morsu aureo Nectebat illam fibula. interior toga Micabat instar solis, e molli nimis Stamine coacta. | 905 |
| Pen. | agnosco sinceras notas, Hanc ipsa vestem praebui, qualem refers. Nunquam sed illum recipiam infelix sinu. | 910 |
| Vlys. | Regina, frontem nubilam evolve ac graves Depone curas. aderit hoc anno sagax, Hoc mense Vlysses. Iupiter testis mihi. | 915 |
| Pen. | Haec dicta dudum. vota diripiunt Noti. Sed nostra connubia interim poscunt proci, Populantur aedes, cuncta raptant ac ferunt. Tela fefelli nuper; advertunt dolum Minisque cogunt. tristis, ah, necessitas! | 920 |
| Vlys. | Animosa persta. tardus est coniunx prope. | |
| Pen. | Solamen ingens, lacrymae spargant genas. Lubet maerere, Placet lugere: Haec solatia nobis. | 925 |
| | Odi pugnantes, Odi cantantes! Proceres orbis, Tineas urbis. Solutus Vlysses Animi meta. | 930 |

Vertite vela,
 Turgidi amantes:
 Non ego laeta
 Vestio aspectu. 935
 Lubet maerere,
 Placet lugere:
 Hace solatia nobis.

Scena quarta

Antinous, Phemius, Medon, Nicocles

Proci cantu ac fidibus ad laetitiam sese hortantur, sed morti praeludunt.

Ant. Dulces sodales
 Ludere sueti 940
 Fidibus, cantu,
 Durate laeti.
 Labitur hora
 Prospera sortis,
 Solvitur ora 945
 Properata mortis.
 Ite defleti
 Ad maestas tumbas,
 Horridas umbras.

Phem. Funera, caedes 950
 Oculos incurrunt:
 Parcite Divi,
 Cypridis adurunt
 Flammae procaces,
 Faces rapaces. 955
 Fidibus solor,
 Abscede dolor.

Med. Vulnera cerno,
 Membra resecta;
 Regia tecta 960
 Sanguis inundat,
 Sicuti nimbus
 Tempore verno
 Mollia prata.
 Seda maerorem, 965
 Siste furorem,
 Arbiter orbis.

Nic. Signa volant ac tela crepant. praeludo cohorti
Victrici, sceleri stamina rumpat anus.

Scena quinta

Vlysses, Eumaeus, Philaetius

Vlysses Eumaeo et Philaetio se manifestat et ad caedem procorum animat.

| | | |
|-------|---|----------------------------|
| Vlys. | Fortuna magna constitit raro diu. Contra tenaci vinculo infelicitas Stringit penates, premere quos caepit semel. Ingens Vlyssis praebet exemplum domus. Indignor ac irascor in tantum nefas Insaniam erupisse. Reginam proci Natumque ludant, omnia absumant, vorent? | 970 975 |
| Eum. | Haec cura dudum pectus exercet meum. O Rex adesset! impio faedem lubens Manus cruore. | |
| Phil. | laetus ignavum caput Cervice vellam, viscera exponam feris Laceranda et avibus. | 980 |
| Vlys. | dicite ex animo, quibus Auxilia ferre velitis, an Regi an procis, Si redit Vlysses? | |
| Phil. | sidera adiuro et Iovem Adiuro summum, sentient nostras nimis Vires amantes. | |
| Eum. | robur a caelo peto, Vt perduelles dextra concidat brevi. | 985 |
| Vlys. | Est notus animus vester et virtus mihi Fidesque constans. plurimi at produnt Ducem Servi procaces, saeva queis Parca imminet. Sum Rex Vlysses gravibus oppressus malis Multos per annos. dubius exagitat timor? Cruis cicatrix dente fulmineo suis Incussa nobis monte Parnassi eximet Animi tumultum. | 990 |
| Eum. | vulneris nosco notas, O magne Rex; laetitia vix vocem invenit. | 995 |
| Phil. | Votis petitus plurium tandem redis Et nos revisis. Ithaca, placatos Deos Venerare prona, candido signa diem | |

| | | |
|-------|---|------|
| | Fastis lapillo: Regis adspectus fovet Patriam cadentem; repetet antiquum decus. | 1000 |
| Vlys. | Mittamus ista. commodetis nunc manus Nobis amicas. gloria ingens vos manet Iuvisse Regem, nec minores sint opes. | |
| Eum. | Pereant amantes, sanguinis rivis natet Funesta turba. Regium ulciscar nefas. | 1005 |
| Phil. | Quis arma, Vlysse, tela quis praebet, necem Vt inferamus sceleris infandi reis? | |
| Vlys. | Hac Iupiter stat, hoc latus Pallas tegit. Derepta thalamo scuta Telemachus dabit, Hastas et enses. | |
| Eum. | vix pati possum moras. | 1010 |
| Vlys. | Mandata nunc excipite. suppeditet mihi Eumaeus arcum, quem proci contendere Nequeunt inertes. claude tu caute domus Postes, Philaeti, ut nullus evadat fuga. | |
| Phil. | Servabo ad unguem iussa; iam ferrum calet. | 1015 |

Scena sexta

Rigor, Clementia, Pallas

Rigoris et Clementiae contentio, quam lancibus utrinque aequatis dirimit Pallas.

| | | |
|-------|---|----------------------------------|
| Rig. | Irritate dolor, Gemina iustum Lance suspende. Armata maeror, Sceleri paenam Laesus repende. Sic praecipit lex, Sic exigit Rex. | 1020 |
| Clem. | Nimum Rigoris Temperet aestum Mitius Numen, Maestam doloris Reprimat iram Pectoris lumen. Haec siderum dos, Mortalium flos. | 1025 1030 |

| | | |
|-------|---|--|
| Pall. | Lances attolle: Parte hac sedeat Mitis oliva, Isthanc movear Fervidus ensis. | 1035 |
| Rig. | Ensis praepolle; Respice, Diva. Ponite mensas, Pocula, vici. | 1040 |
| Pall. | Addere plura, Soror, decebit: Flagra, catastas. | |
| Clem. | Spicula et hastas. Tempus docebit Callida iura; Nunc armorum Sit mihi cura. | 1045 |
| Pall. | Iusto tenore Aequata libra Pondera servet. Mixta rigore Clementia, vibra Tela, sagittas In perduelles. Sterne rebelles. Veniam donabis Lubricum errorem, Caede multabis Publicum maerorem. | 1050 1060 |
| Rig. | Clade procorum Egregius morum Regia tecta Purgabit Vlysses. | |
| Clem. | Robusta senecta Vincet amantes? | 1065 |
| Pall. | Viget iuventa. Aedibus omnes Concide vagantes. | |
| Clem. | Non obsto: Rigor Placet armatus. Faedera pange. | 1070 |
| Rig. | O grata soror, Spicula tange: Dolor atratus Vrgeat hostes, Placidus Regni | 1075 |

| | | |
|-------|---|------------------------------|
| | Tuere postes Fronte serena. | |
| Pall. | Iusto tenore Aequata libra Pondera servet. Spicula vibra, Nemo enervet, Florebis honore. | 1080 1085 |

Scena septima

Penelope, Antinous, Telemachus, Eurymachus, Medon, Amphinomus,
Vlysses, Eumaeus, Philaetius, Pallas specie Mentoris

Penelope procis certamen proponit atque arcum Vlyssis tendere iubet; quod cum nullus posset, Vlysses facillimo negotio perficit atque omnes adiuvante Telemacho, Eumaeo et Philaetio trucidat.

| | | |
|------|---|--|
| Pen. | Postulare, non audiri, Mentis afflictio est; Amare, non potiri, Animi desperatio est. Robur expende, Vlyssis arcum contende, Turba procorum. Hic erit cupitus, Hic erit maritus, Qui tendere norit. Sit finis armorum, Sit meta dolorum. | 1090 1095 |
| Ant. | Certamen ingens. tendere hunc arcum manus Ignava nescit. | |
| Tel. | primus experiar, patris An robur aequem. laeta successu parens Aedibus Vlyssis efferet nunquam pedem, Proci relinquent tecta nec pecorum greges Caedent superbi. mollis ac audax minus Posthac videbor, aut iuventus non satis Vires adauxit. fortius niti iuuet. | 1100 1105 |
| Eur. | Vt cuncta cedant prospere ac nobis bene, Ordine subite. magnus est arcus labor. Defessa languent membra, destituunt pedes. | |

- Plures recedent irrito ausu, etsi pares
Virtute nobis.
- Med. nemo Reginam domum 1110
Duxerit amantum?
- Amph. fata me sponsum iubent.
Sic vis procorum marcet? o maestum diem!
- Vlys. Arcum mihi praebete, ut experiar senex,
Manibus iuventae robur an duret meis.
- Ant. Hospes proterve, dulce te laedit merum, 1115
Vt aleam tentare nobiscum velis.
- Pen. Aetate fractum cur ferox probris virum
Incessis? haud connubia Penelopes petit
Iam senior.
- Eur. at dedecore nos rumor gravi,
Si vincat hospes principes, semper premet. 1120
- Pen. Quos principes? Vlyssis aula qui ferunt
Aguntque cuncta? veste donabo senem
Cum iaculo et ense, dextra cum lentum attrahet
Robusta nervum.
- Tel. tela te, mater, decet,
Non tela et arma. Palladem mitem cole; 1125
Curae sagittae, spicula ac hastae viris.
Eumaeae, non te infesta perturbet cohors,
Huc defer arcum.
- Amph. plenus astuto dolo
Vt lunat erro et cornua explorat vagus!
- Vlys. Telemache, non ignavus hic hospes sedet. 1130
Arcum tetendi; robore haud artus egent,
Vt turba dubio credidit risu procax.
- Tel. Virtute laetor, viribus plaudo tuis.
- Vlys. Scopus petitus, quem volebam tam levi
Certamine; alia meta nunc poscit manus. 1135
Procumbe monstrum.
- Amph. principem telo feris,
Insane latro? fila iam Lachesis secat:
Hodie profundi Regna lustrabis Iovis.
- Vlys. Non me reverti, turba praedatrix, domum
Sperastis unquam. dirutis Troiae redit 1140
Maenibus Vlysses victor et ferro procos
Trucidat ardens.
- Eur. parce, ne populo necem
Adfer cruentus. caesus Antinous iacet,
Qui causa damni ac omnium scelerum artifex;
Nos innocentes. si quid absumptum aedibus, 1145
Pensamus auro.

- Vlys. sunt preces serae nimis.
Iuvistis hostem. accensa iam virtus calet.
- Eur. Spes nulla, saevum posse leniri Ducem.
Nudemus enses: forte stipati foras
Trudemus unum. clamor ad pugnam incitet 1150
Cives ab urbe.
- Vlys. concide ac cives voca.
- Tel. Nunc galea frontem, nunc latus clypeus tegat.
Propera, Philaeti; Eumaeae, festina et procos
Macta rebelles.
- Phil. dextra non languet. viden?
- Eum. Vnde haec Melanthius arma?
- Vlys. vinclis nunc pedes 1155
Adstringite ac servate conclusum probe.
- Pall. Placet ardor. inflammata non mitescere
Consuevit ira. caede, quid nectis moras,
Audax Vlysse.
- Vlys. crescit immensum vigor!
Agnosco Numen Palladis, veneror Deam. 1160
Cohors fidelis, sternite ac letho date.
- Tel. Hostes perempti, tristis eversus furor.
- Vlys. Perfecta consilio ista Palladis ac ope.
Nunc efferantur perfidi. ancillis gula,
Quotquot scelesta Venere sunt mixtae procis, 1165
Frangatur, ense vel luant faedum nefas.
Diras Melanthius impius paenas dabit.
Lustretur aula sulphure ac taeda, volo.

Scena octava

Eurycleia, Penelope, Telemachus, Vlysses

Penelope Vlysses Regio cultu indutum tandem agnoscit; laetitia et amoris mutui vices.

- Eur. Regina, curas pone, sollicitam gravi
Maerore frontem solve. tot votis tibi 1170
Dudum expetitus rettulit Vlysses pedem
Terris remotis, dura post discrimina
Tristesque casus.
- Pen. somnia narras, anus.
Nam cassa mendax saepe cupienti ciet
Simulacra Morpheus.

- Eur. vera, ne dubita, loquor: 1175
 Venit maritus.
- Pen. fabula haec quoties meas
 Implevit aures? ora sed reducis tamen
 Non licuit unquam cernere, amplexu, osculo
 Excipere amantem.
- Eur. signa nunc produnt virum.
 Cruris cicatrix visa, dum membra abluo. 1180
- Pen. Superi reducant! noscere haud fuerit labor.
- Eur. Sed ecce, Vlysses tendit huc lento gradu.
- Tel. Mater, parentem non salutas? non levi
 Dignaris oculo post graves rerum vices?
- Pen. O nate, metuit tuta, quae multum tulit. 1185
 Famam pudica timeo, ne caesis procis
 Peiora spargat.
- Vlys. ora non cernis tui,
 Non vultum Vlyssis?
- Pen. parce dubitanti, precor,
 Nimiumque pavidae; reddidit cautam dolus,
 Mentita toties fraus et erroneas vagi. 1190
 Agnosco frontem, capitis agnosco decus,
 O dulcis anima, mentis o blandum iubar!
 Vix non amore labor; amplecti iuvat.
- Vlys. Virtute, coniunx, semper exarsi tua.
 Non me genarum purpura aut oris nives 1195
 Traxere captum; irrupta constrinxit fides.
- Pen. O vincla nectat faedere aeterno Deus!
- Vlys. Confide: castos nullus abrumpet dies.
 Mea lux, amores; sortis iratae minax
 Non dissipabit aura, non procerum furor, 1200
 Non arma Regum. fata verti non queunt,
 Iovis aut voluntas fraude flecti vel dolo.
- Pen. Adamante solido, chare, stet, coniunx, fides.
- Vlys. Regina, taedis flagret Aethneis amor.

Scena nona

Pallas, Amor, Virtus, Pax, Religio, Mars

*Constantem laudat amorem ac fidem Pallas cum reliquis Diis et Virtutibus;
transit inde ad Augustissimos Principes et votivo cantu concludit.*

| | | |
|-------|--|--|
| Pall. | Nauta periclis Maris exhaustis Statuit laeto Littore puppim Floribus cinctam, Lauru revinctam. | 1205 1210 |
| Am. | Ite felices, Ite, victrices Nectite palmas Animae fidae. Ornate, Vmbrate Tempora sertis. | 1215 |
| Vir. | Discite mortales, Non habet terra Gaudia vera, Nisi post graves labores; Post asperos dolores Fides triumphet, Animis inspiret Castos amores. Discite mortales, Non habet terra Gaudia vera. | 1220 1225 |
| Pax | Austria testis, Germania festis Perstrepens choreis; Post Numina laeva, Discrimina saeva Leopoldi consilio In hostes armata, Industria firmata, Eleonoraē partu faecunda, Spe nova facunda. | 1230 1235 |
| Rel. | Per urbes et arva Caesaris dono Floret pax alma. | 1240 |

| | | |
|-------|--|------|
| Mars | Haec Martia proles; Publico bono Victrix peperit palma. | |
| Vir. | Nostro labore. | 1245 |
| Mars | Nostro favore. | |
| Rel. | Hic Pietati statio fida, Religioni portus amicus. | |
| Vir. | Hic tuta fides, securus amor Et laeta quies. | 1250 |
| Am. | Dicite laudes, promite vota. Crescat Austriacae Gentis propago, Virtutis imago; Det sidera caelo, Fulmina bello. | 1255 |
| Pall. | Imperet seris Leopoldus annis, Frangat invictus tumidos tyrannos; Austriam blando Eleonora fructu Servet adauctam. | |

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt der Erstdruck von 1683 mit der zusätzlichen Angabe „Acta Cremifani coram Augustissimis Caesareis Maiestatibus LEOPOLDO I. ET ELEONORA, MAGDALENA, TERESIA“ auf dem Titelblatt. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/retten1/te08.html).

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *causa* statt *caussa* (533, 1144), *Eurycleia* statt *Euryclea* (309, vor 1169), *Philaetius* statt *Philoetius* (Darstellerverzeichnis, vor 970), *religio* statt *relligio* (31, 1248), *thoro* statt *toro* (65); zur Charakterisierung des Sprechers beibehalten wurde 228 *faemina* statt sonst einheitlich *femina*.

Groß geschrieben wurde: 34 *Phronesis*, 39 *Regna*, 139 *Regium*, vor 151 *Patriam*, vor 176 *Virtutem*, vor 253 *Pacem*, 459 *Beatitudo*, 469 *Beatitudo*, 471 *Solitudo*, 503 *Parcae*, vor 798 *Amorem*, 848 *Amoris*, 884 *Patria*, 902 *Patria*, 989 *Parca*, 1024 *Rigoris*; klein dagegen: A3 *poetico*, A9 *filio*, A10 *praefectis*, vor 1 *serenissimo*, vor 1 *aquila*, 61 *generis*, 110 *protervus*, 222 *sodales*, 227 *medici*, 281 *hasta*, 320 *perciperent*, 325 *strophis*, 327 *phalanx*, 350 *marite*, 407 *aula*, 464 *spe*, 466 *sors*, 518 *victor*, 558 *divina*, 616 *procerum*, 630 *sors*, 799 *sodales*, 816 *sodales*, 835 *sodales*, 873 *sodales*, 927 *cantantes*, 939 *sodales*, 969 *sceleri*, 1120f. *principes*, 1144 *damni*, vor 1169 *laetitia*, 1242 *proles*, 1249 *fides*, 1249 *amor* sowie im Darstellerverzeichnis *famulae*, *musici*, *proci*, *pastores*. Ergänzt wurde dort *nymphae*.

Darsteller und Inhaltsangabe wurden vor den Szenen in umgekehrter Reihenfolge abgedruckt; bei der Darstellernennung wurde dem Auftritt nach geordnet statt 1,1 *Mars Pax Cons. Ind. Cand.*, 2,2 *Spes Timor*, 2,7 *Ant. Pis.*, 2,8 *Dol. Cons.*, 3,2 *Theo. Am.*, 3,9 *Mars Pax Rel.* sowie im Darstellerverzeichnis *Mars Pax Consilium Industria Candor*. 2,4 wurde *Echo* ergänzt, 2,5 *Milites Fauni Satyri*; 2,6 wurde *Satyri III* statt *Tres Satyri* geschrieben.

238 *dedit* statt *dedtt*
 415 zu erwarten *verteret*
 494 *Ant.* statt *Am.*
 612 *species* statt *specres*
 899 *peteret* statt *pcteret*
 v1016 *utrinque* statt *utr nque*

'Komma' gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: A6, vor 1, vor 1, 10, 12, 28, 46, 54, 59, 65, 67, 72, 75, 82, 84, vor 91, 98, 124, 126, 164, 173, vor 176, 186, 192, 196, 217, 221, 221, 231, 265, 275, 286, 289, vor 303, vor 303, 304, 305, 308, 330, 334, 357, 360, 413, 418, 440, 444, vor 457, 488, 514, 522, 531, 539, 546, 553, 554, vor 564, 587, 594, vor 596, 597, 598, 607, 608, 613, 620, 642, 665, 666, vor 673, vor 673, 685, vor 747, vor 747, 747, 748, 751, 752, 760, 764, 778, 789, 843, 888, 889, 901, 913, 919, 968, vor 970, 974, 982, 983, 987, 987, 996, vor 1086, vor 1086, 1102, 1103, 1121, 1129, 1141, 1144, 1151, 1153, 1156, 1161, 1163, vor 1169, 1172, 1190, 1195, vor 1205, 1249

'Komma' gestrichen nach: 582 *aula*, 844 *spiro*, 878 *caetus*, 974 *irascor*, 1170 *maerore*

'Komma' ergänzt: A4 *suum*, A10, A10, 1 *alma*, 67, 71, 94, 117, 151, 199, 216 *quaero*, 228 *vos*, 228 *faeminae*, 242 *ultra*, 330, 374, 376, 401 *verende*, 455 *exulto*, 471, 497, 499, 500, 500, 503, 503, 508, 510 *Amor*, 527, 527, 529, 531, 534 *occide*, 540, 541, 542 *liquit*, 548 *vinclis*, 555, 556 *huc*, 558, 558, 558, 566, 570, 598, 598, 614, 614, 623, 623, 624, 629 *Amphinome*, 647, 660, 710 *migrate*, 720, 724, 728, 732, 744, 749, 753, 758, 768, 769, 770, 770, 782 *mens*, 793, 839, 920, 920, 922, 926, 932, 966, 997, 1014 *postes*, 1016, 1019, 1039, 1052, 1053, 1088 *amare*, 1136, 1153, 1153, 1187, 1203, 1203, 1203, 1203, 1209

'Komma' statt 'Punkt': 189, 208, 230, 236, 316 *Stygi*, 350, 369, 521, 591, 842, 1086 *audiri*, 1178 *cernere*, 1201

'Komma' statt 'Doppelpunkt': A5, 57, 153, 160, 278, 416 *vorat*, 444, 513, vor 673, 713, 813, 864, 961, 1004, 1008, 1026, 1104, 1162

'Komma' statt 'Strichpunkt': 219, 577, 794, 855, 856, 936, 998, 1076, 1131

'Komma' statt 'Fragezeichen': 1006 *praebet*

'Punkt' gestrichen: 159 *probos*, 202 *nocebit*, 441 *adsis*, 1153 *procos*

'Punkt' ergänzt: vor 1, 346 ..., 361 ..., 1156

'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 7, vor 61 *Eurycleia*, vor 176 *conantur*, 179, 222, 260, 281, vor 303 *afferat*, 323, vor 516 *festinant*, 659, 786, 884, 905, 1125, 1244

'Punkt' statt 'Komma': 191, 529 *sinistra*, 543, 727, 753, 925, 949

'Strichpunkt' gestrichen: 508 *marce*

'Strichpunkt' ergänzt: 568, 817, 836, 1221

'Strichpunkt' statt 'Punkt': 752

'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 55, 166, vor 214, 237, 268, vor 401, 616, 654, 667, 724, 797,
852, 860, 907, 959, 1037, 1046, 1125, 1193, 1199, vor 1205, 1253, 1257

'Strichpunkt' statt 'Komma': vor 91, 94, 527, 728, 800, 874, 1087, 1131, 1153, vor 1169

'Doppelpunkt' ergänzt: 461

'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 743, 816

'Doppelpunkt' statt 'Strichpunkt': 306, 720

'Doppelpunkt' statt 'Komma': 5, 117, 283, 344, 376, 565, 601, 799, 819, 835, 873, 924, 937,
1032

'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 365, 375, 395, 1129

'Ausrufezeichen' statt 'Doppelpunkt': 544

'Gedankenstriche' ergänzt: 249, 408f., 847